DE ANATOME PATHOLOGICA DISSERTATIO INAUGURALIS PRO MEDICINAE...

Giovanni Pietro Bonomi



DE

ANATOME PATHOLOGICA

Dissertatio Inauguralis

PRO

MEDICINAE LAUREA

QUAM

IN LYCEO MAGNO PATAVINO

PROPONEBAT

JOANNES PETRUS BONOMI


TYROLENSIS



PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXIX.



VIRO

PRAECLARISSIMO . AC . DOCTISSIMO

IOSEPHO . TORRESINI

MEDICINAE . ET . CHIRVRGIAE

DOCTORI

OPHTHALMIATRIAE

IN . C . R . PATAVINA . VNIVERSITATE

PROFESSORI . P . O .

CLINICES . OCVLISTICAE

DIRECTORI

C . R . VINDOBONENSIS . MEDICORVM . SOCIETATIS

ATQVE . RHODICINAE . ACADEMIAE

SODALI

MORVM . INTEGRITATE

ANIMI . MAGNITVDINE

INGENII . PRAESTANTIA .

SPECTATISSIMO

DOCTRINA . ARTE . EXPERIENTIA . HVMANITATE

AEQVE . INSIGNI

FAVTORI

AESTVMATISSIMO . VENERATISSIMO

HAS . PAGELLAS

GRATI . ET . DEVOTI . ANIMI

TESSERAM

SACRAT

DEVINCTISSIMVS . AVCTOR

C'est au milieu des symptômes effrayans que présentent les maladies les plus funestes, c'est parmi les horreurs de la mort, c'est dans le sein même des cadavres qu'il faut en chercher les éléments.

Vicq-d'-Azyr
Elog. de le Roy T. II. p. 423.

Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit junctura novum . . . . .
Hor. de Art. Poet.

Quum postremis bisce temporibus argumentum fere non supersit, quod a medicinae cultoribns diffuse pertractatum non fuerit, ita ut tironi medici studii nullum quasi remaneat vestigium, quod novo, ut ita dicam, possit percurrere pede, quovetsus potins tendere diu incertus haerebam. Verum quum mibi hac laetissima die, qua laurea exornor corona, argumentum quoddam ad medicinam spectans pertractandum sit, idque, uti mos est, publici faciendum jnris, non invenio in latissimo artis salutaris campo, quod aptius prae caeteris tenuem illius juvenis doctrinam deceat, qui vix artis humanae salutis limen attigerit! Quid enim Viris scientiis omnibus praestantissimis narrare possum, Ipsos quod lateat? quid novi praebere, quod artis medicae peritissimi, imo ipsius magistri et creatores ignorent? Quidquid scio, quantumcumque illud sit, omne, Institutores praeclarissimi, omne vestrum est: atque utinam cuncta retinerem, quae a Vo-

bis perceperam, nullus profecto me praesenti in certamine timor vexaret; conspectus vester animum relevaret potius quam terreret! Humanitatis attamen vestrae, summi erga juvenes amoris conscius, vires resumo, quodque legis jussu facere debeo, lubens suscipio: ratus me eandem apud Vos benignitatem reperturum, quam per plures annos sum expertus.

Quae quum ita sint, talia ad defendendum suscepi, ex quibus forte aliquem fructum sum habiturus.

Etenim cogitanti mihi mirificos conatus illustrium omnis aevi medicinae cultorum, ad hujus progressus etiam atque etiam promovendos, consideratio supervenit de tarditate, qua scientia nostra relate ad alias ad possibilem perfectionem accedebat. Cobibitae celeritatis, inter innumeras pene causas, principem studii Anatomiae Pathologicae defectum fuisse sum arbitratus. Et hic valdopere miror, neque animo possum concipere, nostris temporibus, aevo nostro lucis nuncupato, in natione prae caeteris doctissima, imo repertorum omnis generis creatrice, adhuc illam superstitionem dominari, ut aeterni piaculi dignus habeatur ille, qui cultrum in corporibus mortuorum foedaverit (1). Insuper quum

(1) Videlicet in Anglia.

et ipse nonnullis in locis vanam illam, ne dicam stultam pietatem vigere observeverim, quae a dissecandis cadaveribus cum ingenti hominum pernicie abhorret, veritus, ne mihi illorum adesse aliquo in loco contingat, non absque emolumento futurum fore censui, si praesenti in occasione diligenti examine instituto argumenta cognoscerem, quibus pro temporis, locorumque opportunitate hominibus maximas necroscopiae utilitates, necessitatemque suaderem, et ita tum ipsorum miseriis solatium ferre, tum mihi prospicere, mearumque cognitionum orbem dilatare possem. De utilitatibus igitur et necessitate *Anatomiae*, et quidem *Pathologicae* breviter nonnulla exponam.

Pathologica Anatome illa est, quae in cognitione et examine versatur laesionum omnium organicarum, quibus animale corpus obnoxium esse potest. Hujusmodi vero laesiones quoad solidas partes sunt: earum situs mutatus, continuitas vel contiguitas interrupta, numerus, volumen, firmitas vel aucta vel imminuta, forma, color, textura ab ordinaria norma recedens; et quoad fluida, eorum copia, aut indoles, aut sedes a regula et praescriptione naturae aberrans.

Scientiae hujus utilitates ad sidera nonnulli extulerunt; alii in dubium revocarunt; alii eam etiam stomachantur; inutilem alii esse opinati

8.

sunt: nunc vero tanquam splendidissima fax consideratur, quae operta recludit, dubia declarat, viam ostendit, naturae mysteria nos edocet.

Sapientiores insuper omnes conveniunt; Medicinam minime progredi, imo nisi per Anatomen Pathologicam uti Scientiam existere non valere; ars sanandi propriam veritatem ipsi debet; et per ipsam inter positivas scientias nunc enumerari poterit: vera Medicina tantum Anatomes Pathologicae effectum constituit (1).

Qui Anatomes Pathologicae detecta dubia declarant, solent suis dubitationibus haec praetendere: Posse aliqua esse in cadaveribus, quae in moribundis aut post mortem sint facta: alia, quae non tam morbo, quam malae curationi sint imputanda: alia demum, quae morbi causae non sint, sed effectus sic ut hi saepennmero, non morbus, interimant. Quarum ego rerum nullam inficior: sed idem ajo, vix posse quempiam ab iis rebus decipi, nisi si velit. Vult autem, qui satis in sanorum cadaverum dissectionibus non sit antea versatus; et qui ex nimis paucis morbosorum statuere quidquam audeat; et qui denique praegressarum in aegro rerum, et symptomatum seriem atque ordinem minime attendat. Nam qui saepius sanorum corpora dis-

(1) G. Brescbet, Diz. Class. di Med. interna ed esterna. T. II. p. 136.

secuerit, et eorum diversas mutationes juxta varias conditiones animadverterit; ab iis, quae in moribundis aut post mortem fiunt, facile secernet illas, quae nonnisi longo mensium aut annorum spatio fieri potuerunt. Neque in caeteris facile eidem accidet, ut fallatur, si quum plura morbosa cadavera scrutatus fuerit, quae in singulis praeter naturam deprehenderit, cum iis diligenter comparaverit, quae in viventibus praecesserint, aut comitata sint morborum. Praecedunt autem evidenter causae, haereditariae quaedam, aliae adventitiae, morbi alii, et in his attendendi praesertim qui gravius vexarint. Comitantur vero symptomata, quorum singulorum natura, series, ordo, constantia si attente animadvertantur, conferanturque cum vitiis in cadavere conspectis, et cum iis, quae mortem praegressa sunt; haud ita difficile erit plerumque internoscere, quae vitia morbum effecerint, ab iis, quae a morbo effecta sint. Ast si qua supersit dubitatio, ipsa tolletur, vel plurimum infirmabitur (monente praeclarissimo Morgagnio, qui tantam huicce Archigymnasio, matri omnium scientiarum foecundissimae, nec non Italiae nostrae gloriam contulit, cui saepe, et immerito semper, illam litterariam aut scientificam laudem imminuere aut omnino auferre tentatum fuit, quae postea alicui transalpino, ut sese ad honoris fastigium elevaret, in-

juste inservivit) si plura cadavera post eundem videlicet morbum denatorum examinata, inter se comparentur, et quod praeter naturam in omnibus similiter fuerit, id pro *causa* morbi; quod autem in aliis aliter, id vero pro morbi *effectu* habeatur (1).

Ut vero Anatomes Pathologicae utilitates pateant, operis pretium erit quantum adjumenti diversis curativae artis partibus ipsa importet, considerare:

Certum, indubitatumque esse affirmo Pathologicam Anatomen, Anatomiae Physiologicae vel descriptivae originem praebuisse: tumores siquidem, viscerum obstructiones, mors ipsa peculiaribus stipata symptomatibus primos medicinae cultores curiosos reddidit; ut, si non liceret in hominibus, in brutis saltem morbi sedem cognoscerent. Atque hinc non utilitas modo, sed necessitas eluxit Anatomes Physiologicae, qua unusquisque medicus probe erudiri debet, ut ab aegro accersitus de morbi cujuscumque sede jure possit pronuntiare. Et vitia ipsa Anatomen descriptivam plurimum illustrant; quia ab impedita alicujus partis actione, non raro functio et structura partis ipsius innotuit, quamvis summorum Anatomicorum observationes, sectiones, ac diligentior liquidorum injectio in eam inquiren-

(1) De Sedibus et Causis Morborum Praefat. ad Libr. I.

dam irritae omnino fuerint. Hic recordari licet, absque subsidio Anatomes Pathologicae et ipsam Physiologicam Anatomiam fundamento esse destitutam; namque nemo in eo amplius assentiret, quod jam plurimis est confirmatum experimentis, quod si nempe duo organici textus iisdem subjiciuntur morbis, necessario eandem naturam, easdemque qualitates possidere debent. Mutua ergo sunt utriusque Anatomes praesidia et adjumenta. Et revera cui bono esset annuli at canalis inguinalis, et annuli cruralis cognitio? Quem finem haberet tam studiosa diversae positionis tum arteriarum et venarum, tum nervorum et musculorum observatio, nisi utilissimae ex hac inquisitione ad herniarum diagnosim et curam, et ad chirurgicas operationes eruerentur veritates? Levissima formae et situs adjuncta maximi saepe momenti sunt, atque altius studiosorum animis imprimuntur quotiescumque pathologicae considerationes accedant.

Physiologia quamplurimum ab Anatome Pathologica illustratur. Si enim Physiologus summa cum attentione hominem in perfectissimo sanitatis fastigio observet, haud tam difficile ipsi foret unam, alteramve ex multis corporis animalis oeconomiae legibus invenire, quae prius ignota, aut obscura evaserat. Et reapse cum hoc fieri possit, quaenam alia scientia quam Anatomia

Pathologica hoc melius praestare valebit? Quae Medicum ad aliquam mysteriosam inter dissitas organismi partes relationem scrutandam invitabit; eique eodem tempore quaenam organicae adfectiones hominis vitam sustineant, et quaenam ipsi eam adimant, declarabit. Hinc Anatome Pathologica doctrinae de Absorptione clarissimum attulit lumen, et arcano velum scissum est materierum assumptarum in urinam tanta cum celeritate transitus, quum Anatomia Pathologica venas summa absorbendi facultate pollere, detexisset (1). Praeterea de illo arcano commercio, quod inter dissita membra intercedit, unde Physiologus certior est factus nisi per Anatomen Pathologicam? Haec enim pluries post capitis vulnera abscessum in hepate detexit; idem de testium adfectione post aliquam parotidum inflammationem; idem de aliis morbis, quos ab una ad alteram partem transire frequenter videmus, quin hujusmodi communicationis viae innotescant. Ex Anatomia Pathologica ramorum recurrentium vagi ad loquelam necessitas eluxit; uti clar. prof. Lucensis Pacini hisce retulit verbis: »Due tumori nati e cresciuti su i lati del collo presso la *trachea arteria*, avevano impedito all'individuo, che sa li tollerava, l'uso della favella. Lui morto, il coltello anatomico mo-

(1) Richerand V. I. pag. 256. e segg. Pavia 1835.

strò che ambedue i nervi ricorrenti del *pajo vago* erano rimasti compressi per questa cagione » (1).

Aliud quoque ab Anatome Pathologica beneficium habetur; quippe quae novas theoricas, et hypotheticas doctrinas respuit, vel admodum infirmat. Ruit ex. gr. quidam ex alto, et vehementer caput percutitur; hic longiori vel breviori tempore sensibus alienatur; redit inde ad se, et intellectuales facultates pedetentim recuperat; neque postera die nisi de levi cerebri incommodo conqueritur. Ast die quinta, sexta et interdum etiam decima quinta febris se prodit, quam horrores antecedunt, ac sopor consequitur, qui non omnino subsequenti mane evanescit; vespere autem redit, et intra tertiam vel quartam diem aegrum enecat. Secto cadavere, perfecta omnium aut plurimarum cerebri partium dissolutio adparet, in quibus hanc vel illam facultatem Gall adesse statuit. Corrui videtur istiusmodi hypothesis, quum ab Anatome Pathologica edocemur, facultates illas post ictum extinctas, excitatas iterum fuisse, etsi inflammationis primordia ab eo ipso percussionis momento evoluta essent, ac progrederentur; unde non

(1) Intorno alla necessità dello studio della Notomia Patologica, discorso inserito nel Diz. Class. di Med. interna ed esterna T. II. pag. 147.

partium, sed fere dixerim facultatum corruptio locum habere debebat. Quod etiam illustr. Georget confirmat: » Le alterazioni della sostanza del cervello non ne insegnarono per anco cosa veruna intorno alla pluralità ed alla sede degli organi cerebrali ammesse da Gall » (1).

Sunt et organa, quae in statu physiologico vix suam existentiam ostendunt, sub morbo mirabilem et insolitam assumpsere vitalitatem: alterationes istae maximae Physiologo esse possunt utilitati, qui ex improviso naturam perturbatam aggrediens, in statu erit aliquod ex secretis ipsi abripere, quae si diuturna observatione sufficienter cognoverit, fundamenta Pathologicae Physiologiae, sic a clar. Adelon nuncupatae, sternere poterit, quae arti sanatoriae vel maximi erit emolumenti (2).

Chymica, quae jure ac merito inter scientias medicae artis auxiliatrices adnumeratur, in arte ipsa aliis temporibus ita dominata est, ut cum a chymicis legibus vitam, salutem, et infirmitates ipsas regi ac progigni Medici existimarint, theoricam omnem, et praxin hypothesibus substruxerunt. Quum vero nostris hisce temporibus scientia illa in eruendis et cognoscendis corpo-

(1) Diz. Class. di Med. interna ed esterna T. X. pag. 494. N.° 6.

(2) Physiologie de l'Homme. Paris 1824.

rum omnium elementis tota versetur, Pathologica Anatome quaedam eidem alterata solida, et fluida suppeditat, Chymicae imperium dilatare, et maximas Medicinae utilitates afferre poterit. Meliora vero in dies expectanda sunt ex observatione urinae in diabeticis, urinae et sanguinis in ictero, materiae colorantis in sanguine, quam melanoses ostendunt, et albuminae in materie tuberculosa, in pure, in cancro, in pseudo-membranis deprehensae.

Alter aperitur vastissimus utilitatum Anatomes Pathologicae campus in medica Praxi. Dolendum admodum est, quod morbosae structurae cognitio absque dubio ad actionis morbosae cognitionem haud nos ducat, quamvis posterioris prior sit effectus; nihilosecius ipsa ad utilem istarum investigationum progressum firmissimum posuit fundamentum. Quia qua ratione per quam mutationes cognitae fuerint, quas in partium structura morbosae actiones progignunt, eo facilius in ipsarum actionum cognitionem progredi poterit; quamquam hoc lentissimo tantum gradu fieri poterit. Argumentum per se valde est difficile; eo quod morbosae potentiae in adeo minutissimis corporum animalium partibus resideant, ad quas observatio non pervenit, verum quovis modo structurae morbosae examen probabilior est vis, per quam ad clariorem lu-

cem eam reducere possimus. Per hanc indagationem morborum mutationes una ab altera distinguuntur, quae inter se magnam offerunt analogiam, quaeque plerumque simul fuere confusae. Sic tandem ad eam diligentiorem symptomatum observationem ducemur, quae morbosis comitantur actionibus, ut in ipsis ad morbos accuratissime distinguendos rationes possideamus; unde forsan eveniet, ut perquisitiones relate ad aptiorem eos curandi methodum feliciori coronentur exitu. Atque per accuratam structurae morbosae observationem patbologicas quoque alterationes in partium organisatione, quae parum aut nil cognitae sunt, detegimus. Quaa nova reperta, nostrae investigationis argumenta facta, nostrae quoque cognitiones in corporis humani pathologia, et forsan et illa de remediorum doctrina increscent.

Attenta morbosae structurae consideratio, hanc quoque inducere poterit utilitatem, ut in occasionem ponamur eas morborum theoricas corrigendi, quae nimia forte facilitate acceptae forent. Humana mens ad opiniones de quocumque subjecto ipsi oblato connectendas valde est proclivis; verum ob naturalem segnitiem illa rerum adjuncta examinare saepius recusat, quae idoneum subsidium ipsi sola praebere possunt. Communior haec est falsarum opinionum caussa,

quae non modo Medicinam, verum prope omnes quoque humanae scientiae ramos infectarunt. Ast quando mens nostra ad factorum animadversionem cogitur, quae cum hisce opinionibus minime existere possunt, tunc ipsa, opiniones fundamento carere, atque omnino esse excludendas facile concipiet. Lubenter concedimus non omni in casu fieri, ut homines, ad proprias opiniones relinquendas, vel eas fundamento destitutas credendas, ex eo quod factorum observatio cum ipsis haud consonet, impellantur: verum absque dubio haec est tutissima via, ut ad illum finem et effectum perveniamus; et quaevis in singulis individuis mutatio enasci possit, universum humanum genus, minores opiniones fallaces esse refellendas, semper remanebit persuasum (1).

Ad nostram sententiam confirmandam clariss. et illustr. Raimanni excerpam ipsissima verba: » Etiamsi observationes morborum in vivis praecipuam Pathologiae speciali suggerant materiam, incisis tamen cadaveribus exacta omnium a statu normali mutationum pervestigatio et illustratio non infimi sunt valoris. Non enim diagnoses modo, prognoses et curas in vivis institutas mox

(1) Baillie Anat. Patolog. Traduz. di Paolo Zannini D. M. Venezia 1819.

stabiliunt, mox erroneas fuisse comprobant, sed nonnunquam morborum analogorum casibus etiam futuris utile offerunt argumentum, ubi morbis praesertim multum complicatis, imperfecte evolutis, ideoque cognitu difficilibus, vel perquam raris, vel novis inductos illos a norma deflexus, qui residuam morbi partem materialem concernunt, omnes, eorum sedem, extensionem, quandoque et morbi causam detegunt, bisque prudenter pensitatis et adplicatis ad ampliandam, et firmandam scientiam et praxin medicam conferre valent» (1).

Qui autem prius morbi symptomata rite et attente pensitaverit, quin eum distinguere poterit, perfectam ejusdem cognitionem est habiturus, quum secto cadavere aliquam cum casibus a summis viris collectis atque descriptis inveniet analogiam. Hinc proprias doctrinas in similibus circumstantiis dirigere sciet, aliosque edocere valebit, nec non ad magis congruam curae methodum sese reducet. Itaque quum haec morbosa phaenomena edoctus fuerit, aptior erit ad ea perpendenda, quae per cadaverum autopsias perceperit, atque de symptomatum consensu cum phaenomenis ipsis accuratius dijudicabit, clario-

(1) Principia Pathologiae ac Therapiae specialis medicae. Viennae 1835. § 3o.

remque de observatis rationem reddet, ipsiusque expositio ad aliorum disquisitiones magis distinctum et firmum subjectum erit futura.

Denique, ut ad peculiares descendam casus, quae scientia incredibilem illam phlegmatiarum indolentium et chronicarum seriem nobis aperuit? Anatome Pathologica. Quae materiales in omnibus fere febribus, quas primitivas dicimus, laesiones detexit? Anatome Pathologica. Quae majorem in lucem degenerationes collocavit, quas nomine obstructionis, scleromatis et scirrhi cognoscimus? Anatome Pathologica. Quamplura alia insuper addere possem istiusmodi exempla, quibus summi viri ditiorem ac tutiorem fecerunt Medicinam: ast unum referre satis erit, quod doctiss. prof. Lippich, vir ingenio, scientia et humanitate clarus, ornamentum hujus Archigymnasii exposuit, in quo ventriculorum cerebraium parietem, functione sua certe momentosissimum, post inflammationem emollitum invenit (1).

Quod si perspectis utilitatibus, quas Medicus practicus a necroscopiis ducit, ad illas majores gressus faciamus, quas Chirurgus sibi comparat,

(1) Vide ejusdem Adversaria Med. Clin. Morb. Lubeanorum anno 1828. Patavii 1837; et diffusius Med. Jahrbücher des oest. St. XVI. B. I. St. 8. 41. n. XVI. B. II. St. 8. 224.

manifestum patebit, artem illam omnem splendorem ab hocce studio trahere; et illi tribuendum, si ipsa Ars Chirurgica perfectionis suae culmen fere tetigerit. Namque certum, indubitatumque est, verum ac sapientem Chirurgum quamcumque operationem nunquam aggredi susurum, nisi prius funditùs partem aegrotantem, extensionem morbi, ejusque limen, ac relationes, quas cum adnexis contraxit partibus; si plura, an pauca organa in compassionem sint ducta; ac tandem quaenam formae et texturae mutationes in eo loco contigisse possint, in quem cultrum dirigere debet, apprime agnoscat. Equidem quis primo intuitu non videt, accuratam formae ac relationum naturalium cognitionem, quae inter partes existunt, ex quibus canalis inguinalis, arcus Falloppii, annulus femorlis, ligamentum Gimbernet constituuntur, parum utilitatis esse chirurgo futurum, quum postea mutationes ignoret, quae in illis partibus per intestinorum vel omenti descensum evenerint, et secundum quas potius, quam ob eorum situm et formam cultrum dirigere debet in *herniotomia* instituenda? Quonam modo nisi Anatomia Pathologica illustr. Scarpa haemorrhagiae fontem in herniae cruralis operatione deprehendit? Quo clariss. Dupuytren ani contranaturalis curandi methodum didicit? Quinam viri hernia-

rum, aliarumque Chirurgiae operationum doctrinam illustriorem reddiderunt, nisi Arnaud, Richter, Scarpa, ii videlicet, qui Anatomes Pathologicae studio magis flagrarunt? Qua ratione recentiores Chirurgi audaciam suam in ligandis arteriis majoribus intra internas cavitates experiri potuerunt? Certe ad hoc non pervenissent, nisi Anatomia Pathologica anastomoses et vasorum collateralium dilatationem ipsis demonstrasset.

Praeterea Anatome Pathologica edocemur quomodo fracturae sint tractandae, et tempus noscimus, quo callum ita densetur, ut unquam eodem in loco reproduci fractura nequeat. Haec omnia bona nobis ex Anatomia Pathologica derivantia quemque ad eam quam maxime studendam inducent; sicque Ars Chirurgica gloriosior maximis itineribus in viam majorum progressuum semper procedet. Hoc duce Chirurgus lentas uteri phlogoses a scirrhis et carcinomatibus facile accernet, testium et mammarum strumas haud identicas cum scirrhis genuinis tenebit, nec in illis eradicandis illico operam ponet, uti saepius fit ab ignariis; non scirrhos demum cum tumoribus cysticis, atheromate, sarcomate confundet, et tutius operationem instituet.

Quid de Arte Obstetricia, quae pars est Chirurgiae maxima et gravissima, dicendum erit?

Nonne praecipuum ejus fundamentum in cognoscendis vitiis, quae conformationi pelvis inhaerere possunt, et morbis, quibus aliquando foetus obnoxius sit, consistit?

Ad ea, quae mihi proposui, absolvenda restat, ut nonnulla etiam de necessitate Anatomiae Pathologicae pro Medico Forensi breviter adhuc referam. Equidem si Medicus Forensis de gradu, de vi, de damnis homini illatis judicium pronuntiare debeat, quin illi Anatomia Pathologica succurrat; quomodo damna illa non ex inflicto vulnere, non ex aliena manu descendere; sed ex morbo potius, quo miser in hac vel in illa corporis parte gravabatur, magistratui persuadebit, et innocuam esse manum, quae tanti facinoris adcusatur, declarabit? vel justitiae ultricem manum gravans, non continget, ut plus minusve eaedem laedantur leges, quarum sanctitatem ad defendendam erat vocatus? E contra quoties homicidae vesana fraus altera cervice inulta superbiret, et decepti magistratus nequitiam impunitam dimittentes crebriorem victimas mactandi occasionem praeberent, sceleratorumque fratricidarum numerus augeretur, nisi Anatomia Pathologica ipsis hominum fraudem detegeret? Quoties etiam, ex. gr. sympathicus hepatis abscessus, uti Chirurgis peritis clare patet, post quasdam capitis laesiones saepe enascitur,

uti altera percussoris violentia existimabitur, qui quasi laesionis in nobilissimae corporis humani cavitatis viscera perpetratae nondum saturus, ea quoque abdominis viscera laedere voluisset?

Quid si necessitas urgeat, ut veneficium declaret? sine necessariis anatomico-pathologicis notionibus, quomodo coloris et densitatis mutationes, quae in morbis mucosam gastro-entericam afficientibus eveniunt, rite distinguere valebit, ne forte quis alicujus necis auctor existimetur, quem supremum fatum abstulerit? Atqne versa vice callidus, veneni, dosis, modi et temporis ejusdem propinandi selectu inflammationem perbelle poterit simulare. Et quum veneni adsit suspicio, ut medico-legalis sectiones maximo studio instituat, oportet: materias omnes, quae proxime cadaver invenerit, et quae per emesim, vel secessum fuerint emissa, et quae denique in ductu alimentari reperierit, rite colligat atque servet, visceraque maxima cum attentione observet; et quando haec omnia adhuc nil deponerent, praeceps non sit ejus negativum judicium; sed ulterius est progrediendum; ut optime clar. prof. Festler nuperrime exposuit: »Nè certamente nello stato attuale della scienza potrà il medico-legale con animo tranquillo pronunziare in siffatti casi un giudizio negativo assoluto, quando non abbia tentate tutte le vie che quella

gli fornisce per venir a scoprire il veleno che potesse essere stato amministrato. Non trovato adunque il veleno ricercato nelle materie espulse, o contenute nello stomaco e negl' intestini, e risultato eziandio negativo l'esame chimico delle pareti stesse di questi organi, il medico-legale deve essere oggidì obbligato ad avere in pronto anche il sangue delle vene vicine, e comunicanti con la località dove quello si presumerà applicato; non che le orine che fossero state contenute nella vescica orinaria durante l' ispezione del cadavere, o che di certa scienza si conoscessero evacuate durante il decorso dei fenomeni di avvelenamento, onde poter in seguito anche sopra di queste materie instituire delle convenienti ricerche analitiche » (1).

Quum tot tantaeque sint utilitates, quae ab Anatomiae Pathologicae studio hauriuntur, nemo occasionem antopsiae instituendae fugiat, imo ut sibi liceat imploret (ni forsan errores suos patefacere dubitet!); eodem enim tempore quo probationem diagnoseos et prognoseos pronnnciatae, curationisque adhibitae inveniet, dexteritatem in tractandis instrumentis adipiscetur, quod perutile valde erit, nunc praesertim temporis, cum plerique Medicinae studiosi Chirurgiam etiam exercendam suscipiunt.

(1) Memoria sopra un atteso avanzamento della Tossicologia Legale. Padova 1838.

Hisce praeceptis imbutus, et hac face ductus Medicus quisque, quam cito promerito fruetur praemio, quod ars medica et homines beneficiorum memores ipsi tribuere non cessabunt.



THESES DEFENDENDAE

I.

In incunabulis adhuc ars medica esset, si cadaverum sectiones defuissent.

II.

Venaesectiones causam, et curam hydropis sistere possunt.

III.

Animae moderator princeps candidus amor.

IV.

Hilaritatis excessus faciline vitam extinguit, quam excessus moeroris.

V.

Mors nulla absolute.

VI.

Studium ingenium nutrit, organismum exhaurit.

VII.

Corpora Grafiana embrionum elementa continent.

VIII.

Animi pathemata morbos producunt, morbos sanant.

IX.

Lithotomia palliativum remedium, haud radicale.

X.

Somnus meridianus generatim nocivus.

XI.

Medicorum dissensiones plerumque in verbia tantum consiatunt, et medicinae progressui obstant.

XII.

Vitae genus, intellectus cultura, et topographica cognitio omnino sunt ad felicem medicam praxin necessariae: hinc optimus medicus Vindobonae, vix mediocris Romae.